



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIRBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

X. Soluuntur argumenta contraria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)

ac Beneventanum. Et infrā: Demum idem Rex <sup>Ena cum Ro-</sup>  
 mano Pontifice in Italiam veniens Rauennam & alias vi-  
 ti ciuitates Aistulpho memorato sublatas Apostolice sedis  
 securit. Idem Leo lib.3.cap.48. Anno, inquit, incarnatione Do-  
 minica M.L.XXIX. Mathilda comitissa, Henrici Imperatoris  
 exercitum timens, Liguriam, & Thusciam prouincias Grego-  
 rio Papa, & S.R.E. deuotissime obtulit. Et extant Roma in-  
 thentica instrumenta harum & similiū donationum. Sed  
 etiam si nihil horum exstaret, abundē sufficeret praecepio  
 DCCC. annorum. Nam etiam regna, & imperia per latoci-  
 nium acquisita, tandem longo tempore sunt legitima. Alio-  
 qui enim quo iure Iulius Cæsar occupavit Romanum impe-  
 riū? & tamen tempore Tiberij Christus ait Matt.22. Redime  
 quia sunt Cœsaris Cœsari. Quo iure Franci Galliam, Saxones  
 Britanniam, Gothi Hispaniam inuaserunt? & tamē quib[us]  
 tempore regna ab illis constituta illegitima esse dicere?

## CAP VT X.

## Soluuntur argumenta contraria.

**S**UPER EST argumenta soluere. PRIMO obicitur  
 CALVINVS lib.4. Instit. cap.11. §.8. illud Matt.10.  
 Reges Gentium dominatur eorum, vos autem non  
 sic. Significat enim Dominus, inquit Calvinus, mu-  
 modo pastoris officium distinctū esse ab officio principi, sed res  
 esse magis separatas, quam & in unum hominē coire queant.  
 Et quoniam videbat Calvinus posse obici templum Mois: subiungit: Nam quod Moses virumq[ue] simul sustinuit, primū,  
 raro id miraculo factum est: deinde fuit temporarium, donec  
 res melius componerentur. Vbi autem certa forma à Domino  
 prescribitur, ciuilis gubernatio ei relinquitur, sacerdotium  
 subetur fratri resignare. & merito. est enim supra naturam  
 Et unus homo utrique oneri sufficiat.

RESPONDEO dupliciter; PRIMO, Dominum his solū  
 instituere meros principes Ecclesiasticos, ac docere, debere  
 eos, vt tales sunt, præesse subditis non more regum & domi-  
 norum, sed more patrum & pastorum. Non autem sequitur  
 hinc, non posse unum, & eundem esse Episcopum & Princi-  
 pem.

Exem.

Exemplum autem Mosis, quod Caluinus conatur eludere, omnino conuincit. Quod enim ille dicit, raro miraculo factum esse, manifestè falsum ostendunt exempla allata de Melchisedech, Heli, Iuda Machabæo, & aliis. Quod etiam addit, id esse factum ad tempus, donec Aaron consecraretur, falsum esse ostendit B. Augustinus quæst. 23. in Leuit. vbi dicit, eodem tempore ambos fuisse Pontifices Mosem & Aarōn; & probatur ex eo quod depositus Aarōn Moses, tandem Pontifex, consecrauitque Eleazarum filium Aarōnis uolum eius, ut haberetur Num. 20. Et præterea, si post Aarōn ordinatum non poterat amplius in vnam personam coire principatus, & sacerdotium, quomodo Heli per annos XL fuit sacerdos, & princeps? quomodo Machabæi per annos plusquam centum?

Dico SECUNDО, Dominum illis verbis non prohibere Episcopis dominatum, qualis esse potest regum, & principum piorum, sed qualis est regum ignorantium Deum, qui tyranni potius sunt, quam reges. Id quod patet ex verborum Græcorum proprietate. Nam Matthæus non ait: κυειόντων ἀπῆ, id est, dominantur simpliciter, sed κατακυείσθων, id est, violenter dominantur. Sicut 1. Pet. 5. Non dominantes in cleris, habetur, μηδὲ ὡς κατακυείσθωτες τῶν κληρῶν. & Iosue 13. legimus: Dixit Caleb, qui percusserit Cariath-sopher, & cuperit eam, Græcè, καὶ κατακυείσθαι αὐτὸν, id est, vi dominatus fuerit eius, &c. Vnde 2. Petr. 2. & in epistol. Iude, videmus hæreticos reprehendi, quod κυείσθαι contemnant.

SECUNDО obiicit ibidem §. 9. illud Luc. 12. O homo quis me constituit iudicem, aut diuisorem inter eos? Dominus reiecit munus iudicandi tanquam non consentaneum muneri prædicatoris, & ministri verbi: sicut etiam Apostoli Act. 6. dixerunt: Non est equum nos relinquere Verbum Dei, & missare mensis. At non potest hæc munera reiicere, qui est Princeps.

Ad verba Domini responderi posset, Dominum in hoc mundo suscepisse personam Pontificis, non Principis temporalis,

sss

pontificis

poralis, & illis verbis monuisse simplices Pontifices, ne se misceant alienis negotiis. At melius potest dici, generaliter in utroque loco admoneri Pontifices & Principes, neminius, & vilibus officiis ita occupentur, ut omittere cogatur maiora. Hoc modo Iethro cum vidisset Mosem tota deflere ad iudicandum, Exod. 18. sapienter cum admonuit, non ut deponeret principatum politicum, & seruaret solum Ecclesiasticum, sed ut constitueret minores Iudices, qui satisficerent populo in rebus leuioribus, & grauiora queque tam politica, quam Ecclesiastica ad se referrent. Sic etiam B. Bernardus lib. 1. de considerat. iisdem verbis Domini in medium adductis hortatur Pontificem, ut iudicia rerum temporium aliis dimittrat, quam tamen sciebat iam tunc Principem tempoream fuisse.

Sic denique Apostoli ita omiserunt in Hierusalem curam ministrandi mensis, ut tamen præsiderent etiam in temporalibus toti illi Ecclesiae. Vnde Galat. 2. Petrus, & Iacobus, & Ioannes solliciti pro fratribus, qui erant in Hierusalem, rogant Paulum, & Barnabam, ut memores sint colligere aliquam eleemosynam, & mittere in Hierusalem. Illorum id fecerunt, & collectam pecuniam ipsimet detulerunt, non ad Diaconos præfectos mensis, sed ad seniores, ut haberetur Actor. II.

**T E R T I O** obiicit Caluinus ibidem §. II. verba B. Bernardi lib. 2. de consider. *Apostolis interdicitur dominatus, servogotu, Et tibi surpare aude aut dominans apostolatum, aut Apostolicus dominatum. Forma Apostolica hac est, interdicitur dominatio, indicitur ministratio.* **R E S P O N D E O**. Bernardum loqui de Pontifice, ut Pontifex est totius Ecclesie, & secundum id quod habet ex Christi institutione. Nam paulò ante dixerat: *Esto, Et alia quacunque ratione haec nobis vendices, sed non Apostolico iure, nec enim tibi illa dare, quod non habuit, potuit, Ec.* Itaque vult Bernardus Pontificem, ut pastor est ouium, non debere eis dominari, sed eas pascere: at sicut nihilominus iisdem ouibus, ut sunt cives Reipub. dominatur princeps politicus, ita potest iisdem dominari eadem ratione Pontifex, si sit eorum politicus princeps.

QUARTO

**Q**UARTO obiicit ibidem §. 14. verba B. Gregorij, qui lib. 4. epist. 44. dicit anathema Episcopo, qui iubet alicui agno more fiscali titulum imprimi. **R E S P O N D E O;** nihil esse mirandum, si Gregorius noluit Episcopos, nec etiam praefatos patrimoniorum Romanæ Ecclesiæ uti more fiscali in quis Ecclesiæ recuperandis. Nam nondum habuerat Ecclesia politicum principatum, sed possidebat bona temporalia ad eum modum, quo priuati ciues possident. Itaque æquum erat, ut agros, quos suos esse censebat Ecclesia, si forte ab aliis occuparentur, in iudicio legitimo eos repeteret: non autem more fiscali propria sibi auctoritate vendicaret.

**Q**VINTO obiiciunt alij illud 2. Timot. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Quæ verba dicuntur Episcopo. At non potest princeps non se implicare negotiis secularibus. **R E S P O N D E O;** negotia secularia hoc loco non vocari regimen politicum, sed curam parandi viæ, & prouidè negotiationes, & mercimonia, & similia. Est enim Græcè, τὸν βίον περιγματίας, id est, negotiis vita, seu viæ. Vbi etiam notandum, non haberri in Græco, nec in omnibus Latinis codicibus illud, Deo, sed generaliter & deis sparte & θρησκευτικῶν τῶν τοῦ βίου περιγματίας. Et est sensus, Dixi ut labores sicut bonus miles Christi. Porro bonus miles non est sollicitus circa viæ, & corporis curam, sed comedit, & bibit quando potest, & quomodo potest, dormit humi, vestitur magis ferro, quam panno, &c. Itaque Apostolus non prohibet regimen politicum, sed nimiam sollicitudinem circa vitam corporalem: &, ut bene monuit Chrysostomus, dicuntur hæc à Paulo tam Episcopo, quam aliis hominibus. Omnes enim, etiam Laici, etiam Reges, milites Christi esse debent.

**S**EXTO obiiciunt verba Nicolai I. epist. ad Michaëlem, vbi dicit fuisse quidem ante Christi aduentum eosdem Reges, & Pontifices, at Christum verum Regem, & Pontificem ita disiunxisse: *Cum ad verum, inquit, ventum est, ultra sic nos Imperator iura pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen imperatorium surpauit, &c.*

**R E S P O N D E O;** Nicolaum noluisse negare, posse Pontifici conuenire temporale aliquod dominium. Nam ipse erat

Pontifex , & simul princeps politicus Romæ & Rauennæ , & liarumque ciuitatum , quas dudum acceperant maiores eius ab Imperatoribus : sed solùm voluisse dicere , non concesire ut idem sit Pontifex totius orbis , & simul Imperator etiam totius orbis . Non quod hoc repugnet Euangeliō , & nullo modo possit fieri , sed quia Christus ad conseruandam humilitatem , voluit Pontificem indigere Imperatoris defensionē in temporalibus , & simul Imperatorem indigere Pontificis directione in spiritualibus . Quod autem Christus volerit , patet ex eo , quod reliquit imperium Tibrio , & Petro solūm contulit pontificatum .

*Finis tertiae Controversie generali.*

